

dubitarem, inquit, sententiam hanc, hoc modo explicatam, errorem in fide appellare. Idem, immoderatus aliquid, dixerunt alii. Berratus eam appellat hereticam: Adams, erroneam: inquam Chictoreus: inquam, & stultam Mendoga: detestandam blasphemiam Pigbius: periculofam Waldensis: temerariam Belcarius: Pharizicam Auctor Antipologie: nimis periculofam Bononia: plane absurdam, & nimis duram Dolpinus: Augustino, Concilio Tridentino, & Sacra Scriptura contrariam Valentia: Calvinii commentum Catholico Auctore indignum, & manifestum errorem Stapletonus: omnino eandem cum Calvinii, & Lutherianorum errore Illustrissimus Bellarminus.

Succellit in disputatione Thomas de Lemos. Noluit inferioris subfelli Theologos scrupulosos edere, qui intrinsicam gratiæ prævenientis efficaciam, sive auxilium phyficæ prædeterminans defendissent; satis e re sua futurum existimans, si celebriores adduceret. Ab Angelico Doctore, & Joanne Duns Scoto, duplicis scholæ Principibus, initium capit, quos suæ doctrinæ contrarios agnovit Ludovicus Molina, disp. 26. 27. & 30. His adunxit Capreolum, Cajetanum, Ferrariensem, Conradum, de quibus ei superiori disputatione litem moverat Societas Actor, cujus hic vitiligationes confutavit. Addidit Albertum Magnum, S. Bonaventuram, Magistrum Sententiarum, S. Antonium, Andream Vega, Abulensem, Joannem Driedonem, Perronium, Henricum Henricus, ac demum plurimum instar, Catechismum Romanum, ex decreto Concilii Tridentini elucubratum, & a Pio V. Pontifice Maximo universæ Ecclesiæ propositum; ubi hæc inter alia legitur licet: (1) Non solum Deus universa, que sunt, providentia sua tuetur, atque administrat; verum etiam que moventur, & agunt aliquid, in ipsa virtute ad motum, atque actionem ita compellit, ut, quævis causarum secundarum efficientiam non impediatur, præveniat tamen: cum ejus occultissima vis ad singula peringat, & quemadmodum Sapiens testatur, Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longe est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.

E laudatis ab adversario a se stare propugnavit Alexandrum Alensem, Egidium Romanum, Didacum Payvam, Joannem a Bononia, Ruardum Tapperum; Thomam Waldensem; qui prævenientis gratiæ efficaciam intrinsicam, & ab humani arbitrii consensu minime suspensam, religiose tuerentur. Quæ vero adversus gratiam phyficæ prædeterminantem ab eisdem assertam videbantur, minutatim exposuit; ut illos monstrum aliud longe diversum, Manicheismum scilicet, & Calvinismum oppugnasse, demonstraret. Hos inter Joannes de Bononia potissime notabatur, ut a Baftida peperam appellatus; utpote qui Divinæ Gratia insuperabilem efficaciam a Concilio Tridentino rejectam, non asserat; sed eorum stultam opinionem, qui Divinis inspirationibus, & excitationibus neminem resistere, fabulabantur. Sic enim habet in tractatu De libero hominis arbitrio, fol. 103. Hæc œcumenici Concilii clarissimam doctrinam obscurare quodammodo conari videntur, dum dicunt, habere hominem libertatem arbitrii, ut excitationi, admonitionique Divinæ resistere possit: sed his Divinis inspirationibus, atque motionibus suppositis, nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dicit, quoniam ex dictis Reverendissimi Domini Hieronymi a Bononia, sanctissime Sedis Apostolicae Nuntii dignissimi,

nec non Archiepiscopi Consani, Professoris Theologie peritissimi, atque Sacri Palatii Magistri eximii, eandem opinionem in sancta Synodo Tridentina fuisse summam diligentia a Patribus discussam, & tanquam minus probabilem optimo jure percepti rejectam. Quamquam, si id de Gratia efficaci est intelligendum; tantæ non est auctoritatis unius viri verbum, nullo scripto consignatum, ut possit fidem nostram sub jugum, ut ita dicam, mittere.

De cæteris pauca dixit. Adversus Ochamum, Ariminensem, & Armachanum exceptiones dedit: quod & minus recte de fide sensissent, & ab Apostolica Sede damnati fuissent. Carthagensem, & Cordubæ suffragia exfuffavit; cum hac in parte eo usque caspitasset, ut in piis operibus Divinam constitutionem humana voluntate præveniri, propugnaret: quo vel uno errore suffragii jure ceciderant. Gregorium de Valentia, Societatis Theologum, Thomam Stapletonum, aliosque levioris notæ scriptores, missos fecit; datis generalibus solutionibus, quibus planum fieret, eorum bene multos aliam a Thomistica hypothese impugnavisse, invidiosisque notis affectisse.

Verum isthæc parvi pendens Ferdinandus de Baftida, stetit in incepto. Laudatos a se Theologos, non Manichæos tantum, aut Calvinianos, sed & Thomistas petiisse, contestatus est. De reliquis, a Lemoso appellatis, nihil curandum inquit; quod prævium duntaxat influxum, applicationemque causarum secundarum, ut ut maxime defendissent; de phyfica vero Prædeterminatione ne per somnium cogitasset.

Dictis vim addidit Societatis Actor ex Dominici Soto auctoritate, cujus verba hæc de scripto recitabat: (2) Sicut in parvulis Baptismus est causa, cur unus salvatur; & non baptizari est causa, cur alter non salvetur: pariter in adulto, qui per actum interiore ante Sacramentum convertitur, cum Deus potissimum sit quemcumque convertere, presentissimaque misericordia ex duobus utrumque aspiciet; cur iste convertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi quia unus præbet assensum, alter vero minime. Quædam vero hoc taxare voluerunt, dicentes, quod nimium tribuerim libero arbitrio in justificationis causa. Et tamen, salva semper Catholice Ecclesiæ censura, arbitror, necessario sic dicendum. At cum hic inter legendum hæeret, nec alia profeceretur, unde Auctoris sensus in aperto ponitur; commotus in eum Lemosus, Perge, inquit, perge legere, quæ sequuntur. Legit ergo: Assensus enim liberi arbitrii non est causa, præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis, idem præveniens liberum arbitrium. Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri, in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis libere consentientibus; quævis causa prior efficiens, que nos convertit, sit ejus spiratio, & motio præventions: tamen dispositio materialis (que hoc modo potest dici causa) est assensus nostra. Sicut causa efficiens præventions, cur fenestra aperitur, est aer intrans; sed causa materialis, cur aer intrat, est, quia fenestra aperitur. Quo lecto, nihil ex hac ultima Soricinia adversus Molinam extundi, contestabatur; quia Deum nostræ conversionis auctorem agnovit.

Non absumili confidentia Soncinam, & Bronde-rium adversus prædeterminantem gratiam appellabat; quia nec cogi voluntatem, nec aliqua necessitate compelli, propugnarent. Cui cum paucis reposuisset Dominicanus Orator, finita disputatio est.

(3) Die Mercurii, 1. Martii, hora 14. anno

1606.

D. 1606. actum fuit de locis Divi Thomæ, & aliorum Doctorum, productis ex adverso a Patribus Societatis contra doctrinam de phyfica præmatione, seu prædeterminatione, sub qua voluntas se ipsam determinat, præmotâ, & efficaciter adjuta per gratiam efficacem. Et resolvit Congregatio, persistendum in decisis. Ita censuerunt omnes, excepto R. P. Regente Collegii Carmelitarum, qui cum Parribus Societatis censuit, Deum per gratiam suam non prædeterminare humanam voluntatem ad actus bonos; & qui hoc asserunt, non evadere posse, quin etiam concedant, Deum prædeterminare ad actus peccati: quod, salva fide Catholica, sustineri non potest. Et hanc sententiam æque probari auctoritatibus S. Thomæ, & Doctorum, quas Patres Societatis producerunt, Dimittitur Sessio post horam decimam-nonam.

CAPUT XVIII.

Paulus V. finiendo Controversiæ consilium inquit; cui Molinæ Procuratores, tradito scriptorum fasciculo, moras injiciunt. Germanicarum Academiæ frans desecta.

Tam arduo, difficili Disputationum onere solutus Paulus V. de serenda sententia deliberavit. Res Cardinalium consilio commissa est die Martii 8. anno 1606. Num scilicet e communi Ecclesiæ bono foret, ut Apostolico judicio finiretur controversia. (1) Aderant Eminentissimi Cardinales, numero duodecim, Pinellus, Afoalanus, Aldobrandinus, Blanchettus, Arigonius, De Giury, Bellarminus, Bufalo, Zapata, Taberna, Monopoli, du Peron; Avileni non multo antea e vivis sublato; Sfondrato vero febribus detento. Decem pro extensa definitione Apostolica pronuntiarent: reliqui duo intercessere. Perronius scilicet, ac Bellarminus: ille quidem Henrici IV. nutibus obsecutus; iste Societatis.

Ut primum susceptum ferendi judicii consilium Jesuitis innotuit, tentarunt, num, objecta muscula, rei exitum morari, aut etiam impedire omnino possent. Scriptorum fasciculum, quibus jam pridem Clementem VIII. defatigaverant, variasque commendatitias Epistolâ Paulo V. obtulere: rogantes: ut ea primum expendi sineret, quam ad definitionem Controversiæ veniret. Votis annuit optimus Pontifex, ne forte se minus audiri Jesuitæ quererentur. Jacobo Bossutius, Consultorum uni, examen demandavit, qui proluxa censura, in Augustinianum Archivio assererat, de singulis Scriptis, & Epistolâ sigillatim pronuntiavit. Contentam, aut commendatam in eis doctrinam, erroneam dixit. Auctores fraudis, fallaciæ, falsitatis reos habuit: quod apud Sedem Apostolicam non ea fide, animique candore se gererent, quem & Judicis Majestas, & argumenti dignitas postularer.

Scriptorum, a Jesuitis ea occasione exhibitorum, de quibus clarissimus Bossutius (2) pronuntiavit, primum erat, Collatio doctrinæ Thomisticae, & Calvinianæ, a Ferdinando de Baftida elaborata, & in publica disputatione coram Paulo V. recitata die 10. Januarii. Hanc extemporanea Responsione jam pridem refellerat Thomas de Lemos hoc ipso solenni congressu, quo primum a Molinianis producta est; ac tum demum triplici scripto, Pontifici dato, majori otio confutaverat; atque, ut par pari referret, Collationem addiderat doctrinæ Molinianæ, ac Pelagianæ, circa Divinam

Serry Tom. I.

Prædestinationem, & Gratiam; (3) qua Propositiones Molinæ triginta tres cum Pelagianis erroribus statera appendebantur; addita singulis, instar antidoti, S. Augustini sententia, Ecclesiæ judicio consecrata.

De omnibus fusc dixit doctissimus Bossutius in Judicio Censorio. Lemosi Responsa per omnia probavit, ut solvendis Baftida cavillationibus opportuna. Productis in medium Lutheri, & Calvinii assertionibus, Thomistæ etiam severiores, ac ipsum quoque Bannelium, in quem potissimum turbo derouerat, procul ab iis stare, ait, tum ex ipsa loquendi ratione, tum in ipsa Doctrinæ summa, tum fine, ac scopo, quo Gratiam de ipsa efficacem tuebantur. Baftidam etiam eo maxime nomine fraudis reum habuit, quod minus sincera, & integra fide utriusque partis sententias retulisset.

Scriptum alterum, a Molinæ Actoribus Paulo datum, illud ipsum est, de quo nobis lib. 2. cap. 11. sermo fuit, ad suffraganda quorundam Doctorum Bononienium suffragia anno 1600. confarctatum, & a Thoma de Lemos proluxa jam tunc sermone confutatum, cui titulum fecerant: Status Controversiæ de efficacia Gratia. Septem veluti partes complectebatur. Prima quatuor statuebat doctrinæ capita, de quibus Thomistæ inter, & Molinianos conveniret. Altera Thomistarum sententiam exponebat. Tertia momenta decem, quæ ea reselleretur, exsequebatur. Quarta Molinianæ scholæ opinionem representabat. Quinta, quid Theologi de utraque sententia pronunciarent, referebat. Sexta nonnulla derivabat consecraria. Septima quorundam Theologorum Bononienium emendicata suffragia continebat.

In singulas scripti partes Censuram acuit Jacobus Bossutius; totamque lucubrationem, ac sublinenda imprudentem Theologorum ora fucatam, multaque cerussa compositam, dixit. Quatuor doctrinæ capita, in quibus Molinistæ, ac Thomistæ mutuo convenire dicebantur, ambiguo, ac versatili sensui obnoxia esse; quin etiam ex illis postrema duo a Molinæ mente longe ditare, censuit. Scripti confarctatores, in exponenda Thomistica scholæ sententia, ingentis fallaciæ reos egit; quod multa illi peregrina supposuissent, iisque pigmentis doctrinam ejus obduxissent, quasi non aliam gratiam, nisi se ipsa profusus efficacem agnosceret; dissentientem facultatem Libero Arbitrio, efficaci gratia moto, distiteretur; idemque auxilii genus ad mala perinde, ac bona peragenda desideraret. Decem momenta, quæ Angelica sententia fugillatur, minutatim dispunxit, objecta non semel importunis accusatoribus fraudis, & fallaciæ criminatione. Molinianæ sententiæ expositionem nihilo sinceriores habuit; seu quod multa verbis ambiguis, ac versatilibus involveret, ne virus palam prodiret; seu quod multa complecteretur, a Molinæ mente remotissima: quod is novem præsertim capitibus demonstravit. Consecraria, ex statutis assertionibus derivata, eodem haerere luto, multis ostendit, totamque rei summam, in duodecim Capita digestam, in aperto posuit, femota undique larva, qua fucum facere nitebantur: ac tandem Theologos, in Molinianæ sententiæ præfidium quinto ordine advocatos, nonnullosque Bononiæ Magistros, qui fucata utriusque sententiæ expositione decepti, incircumspecte subscriperant, eodem, quo cæteros (de quibus mox alterius scripti occasione sermo erit) fusc defecuit.

Tertium Scriptum obtulere Moliniani, The-

Q q 2

fium

(1) Part. 1. de 1. Symb. Ast. (2) In 4. Senti. dist. 50. art. 6. (3) Ex Act. Secret.

(1) Congregationem illam ad colligenda Cardinalium suffragia habitam, scribit Card. Perronius Epist. ad Henricum IV. data die 8. Martii 1606. (2) Lib. 4. Cap. 14. (3) Exhas in Lemosi Actor. vol. sig. I. p. 245.

sum farraginem, jam dudum anno 1600. Clementi exhibitam, ac duplici Prædicatorum scripto ex ejusdem jussu confutatam, de quo Libro 2. Capite 10. multa diximus. Has Thesium lacinias, quibus Molinæ assertiones numero quatuor, a privatis viris, soloque capite censit, defensæ ferebantur, immiti virga excepti Censor æquissimus, Has, D. Augustino, ac D. Thomæ repugnantes, demonstravit: eaque singulari Tractatu in pauca contulit, quæ sicut Prædicatores executi fuerant, ad elevandam Defensorum auctoritatem; quos proferendis artibus, & indecora prebensatione Jesuitæ redemerant; ut hanc qualemcumque Molinianæ causæ advocacionem accommodarent.

Quantum Scriptum, a Societatis Oratoribus Paulo V. exhibitum, non aliud ab eo est, quod alias ex Clementis VIII. jussu erudita Censura confixerat Cardinalis Ludovicus Madruccius, anno 1599. eo maxime nomine, quod Scholæ Thomistica doctrinam, tacitis defensorum nominibus, adulterasset decem Societatis Professores, alienisque coloribus obduxissent; ut nonnullas Academias, Ingolstadtensem scilicet, Græcensem, Dilinganam, Wirceburgensem, Moguntinam, Mussipontanam, Trevirensis, ac Viennensem occuparent, illarumque suffragia dolo extorquerent. Quæ de re legendis venit Liber 2. Cap. 4. ut hinc videas, Molianos extremo isto conatu nonnulli deccitas, atque interpolatas merces Apostolicæ Sedi obtulisse; in quas jam diu Vir merissimus, primusque hujuscæ causæ Cognitor, ab Apostolica Sede datus, pronuntiaverat.

In hac itaque Scriptiõnem, (cui titulus erat: *Confutatio cujusdam Sententiæ falsæ de efficacia Divinæ Gratiæ*) severiorem Censuram exercet Jacobus Bossutius, Thomistica Sententiæ expositionem, dissimulatis Auditorum nominibus, initio positam, uti spirium fugillar, & ab Thomistarum mente remotissimam. Quocirca, post multa erudite observata, ita colligit: Quod si concedamus, rejiciendam esse Sententiam, quam tot fallacis hi Patres implorant potius, quam explicarunt; non continuo concederemus, rejiciendam esse Sententiam de Gratia, movente active proprie, & per consequens determinante. Tum momenta decem, quibus exposita Sententia confutabatur, minutatim dispungit. Primum, quo Gratia, et ipsa efficaciæ, & prædeterminans, atris coloribus expressa, cum Calvinianorum errore conferebatur, durius præ cæteris excipit; hancque Censuræ suæ partem hac brevi observatione concludit, « Constat satis ex superioribus, tantis fallaciis, & ambiguitatibus, ne nominem falsitates, implicatam potius, quam explicatam, omnino alienam esse a Sententiâ Patrum Dominicanorum. Tantum abest, ut ex eis sequatur conclusio, quæ hic ponitur, (nempe cum hæreticorum doctrina convenire) ut potius sequatur ex animadvertionibus, & responsis, magnam illis injuriam per hanc Conclusionem irrogari, saltem quantum ad susceptam contra eos Diffinitionem. Nam in re, nihil contra eos concluditur, propter illa se aut proposita, aut exposita a Patribus Societatis: cum illorum Sententiæ & libertatem arbitrii perferat per gratiam, & cum decisionibus Sacri Concilii bene cohercat.

Cætera quæque momenta ad crismam exigit Vir eruditus, absterfo ubique furo, quo Scholæ Angelicæ doctrinam obduxerant, ut incautorum Theologorum naves verberarent. Ac tandem gressum ad ultimum faciens, criminatoris malæ fidei postulat, quod hanc extremo tandem loco Thomistica Sententiæ expositionem dedissent, dignum

(1) Epist. ad S. Aug.

patella operculum, totiusque larvati operis colophonem. *Autores illi* (verba sunt criminatorem, adverse partis sententiam exponentium) *propterea contendunt, Deum antecedenter omnino prædeterminare illo modo voluntatem ad actum conversionis, quia sibi persuaserunt, Deum, ut causam universalem, non aliter cum qualibet causa secunda contingenti, seu libera concurrere ad suum effectum, prædeterminando, & prius aliquid imprimendo, & efficiendo in illa; quoposito, non possit non agere.* A quo quidem errore Angelicæ scholæ Theologos procul abire, multis ostendit.

Ea officii parte exsolutus Bossutius, sermonem ad Theologorum suffragia convertit, qui sententiam, tum hoc, tum altero superiori scripto atris coloribus expressam, adjecto Chirographo, erroneam dixerant, & in Societatis partes abierant. Quocirca non pauca habet observatione dignissima. Primum, nil mirum fore, ait, si plures Societatis doctrinam (quam Semipelagianam pronuntiat) albos calculos adificerint, quod ea sit erroris indoles, ut serpat, veluti cancer: quod Arianorum exemplo perficuum facit. Secundo, non succensendum viris, fortasse piis, & eruditis, si falsa imagine deluti, erroris luto hæreant, quo necdum tempore Ecclesiæ judicio eliquata veritas est; uti plane in hæresi Semipelagianâ videre fuit. Quare, nil mirum, addit, *sed dolendum, quod Molina, Sares, & alii Patres Societatis, omnes egregie docti, hujus opinionis, ab Ecclesiâ profugata, patrocinium funderint, alioque viros doctos habuerint sibi consentientes.* Tertio, nihili faciendum eorum Theologorum suffragium, qui ex præjudicata eruditionis, ac probitatis opinione, in Societatis studia venerant; & adverse partis sententiam, uti illis exponebatur, incauta subscriptione damnaverant, quia eas Academias magna ex parte Jesuitæ moderabantur, eosque ipsos Theologos Molinianæ sententiæ suffragia nonnulla innotuerant. Cum ergo, inquit, certum sit, Patres Societatis illarum Academicarum, quarum suffragia profecerunt, habenas moderari, ubique residere eos Theologos, aut qui sunt de eadem Societate, aut qui a Patribus Societatis hanc doctrinam hauscerunt; a quibus etiam Theſeon defensores, quas secundum illorum opiniones defenserunt, didicerunt; non mirum videri debet, si ad illorum sententiam venerunt; quos etiam nomine pietatis & literarum ubique celebres esse, perspiciebant. Quare & iis Jesuiticæ Doctrinæ Approbatoribus dictum illud accommodat D. Prosperi,

(1) quo imprudentes Semipelagianæ hæreticos suffragatores ludebat, qui una Magistrorum suorum existimatione concitati, ex sententia pronuntiabant: *Simpliciores quoque, apud quos magna est horum de contemplatione probitatis reverentia, hoc tutissimum sibi existimant, quod audiunt eos, quorum auctoritatem sine judicio sequuntur, asserere.* Quarto, tantum abesse, ait Censor meritisimus, ut pauculi illi, & qualescumque Molinianæ causæ suffragatores, præsidio illi esse possint, ut contra potius luculentius ostendant, partem adversam Approbatorum numero vincere. Quia cum sint pene innumeri Doctores, seu Magistri in Theologia in omnibus locis Catholicis, cumque illi, qui stant a partibus Patrum Societatis, sint in numero; magnum est præjudicium, eos, qui non stant, vincere longe majore multitudinis. Et secundo apud me mirum est, quod, cum hi Patres tot annis conati fuerint emendicare suffragia tot Theologorum, qui sunt in omnibus Academiis Catholicis, tam pauci fuerint reperti Sententiæ illorum assertores. Quinto, expungendos omnino censet ex eo Theologorum subscriptionem calculo, quotquot erant e Societate Professores, qui, sub honesto Academicarum nomi-

mine aliis Doctoribus permixti, de controversa doctrina pronuntiaverant: quod eorum suspecta sunt testimonio, qua de se ipsi perhibebant in actione, contra illas intentata. Sexto, Germanicas illas Academicas, quarum suffragio gloriabantur, nihil aliud magna ex parte fuisse, monet, quam ipsorum Jesuitarum Collegia, quæ superbo Academicarum nomine cohonestaverant. Hoc solum dico, inquit, me accepisse, Patres Societatis in illis partibus aliquorum Collegiorum derelictorum suscepisse patrocinium, & illa cohonestasse nomine Universitatis, constitutis paucis Professoribus sive ex sua Societate, sive ex suis discipulis. Septimo, nihil contra germanam Prædicatorum doctrinam extundi posse, quod iis scriptis, adversus illos elaboratis, suos calculos adificerint alii: Quia per hæc testimonio non improbat absolute sententia Patrum Dominicanorum, sed prout (ait Universitas Ingolstadtensis) *vel uti hic (ait Dilingana) referuntur: cetera vero Universitates dicunt, se improbare sententiam, hoc scripto propositam, & confutatam. Constat vero ex his, quæ diximus ad res ipsas contentas tam in primo, quam in tertio, illum sententiam male fuisse propositam, & pejor restatam.*

Tum demum, brevitè eventualis nonnullis commendatitius Epistolis, jam olim ad Clementem VIII. datis, quarum transfusa hac etiam occasione Paulo V. obtulerant, ut illum quoque eodem ariete pulsarent, censuram omnem his verbis absolvit: *Hec sunt, Beatissime Pater, quæ mihi visa sunt observanda in scripturis PP. Societatis, quas Vestra Sanctitas voluit a nobis examinari. In quibus si Vestra Sanctitas reprehendamam judicet vel obscuritatem in sententiis, vel rigiditatem in his verbis, fraudes, fallacias, saltates, & similibus; primo veniam precabor talium, & similibus errorum, qui mihi obrepserunt: deinde respondebo, materiarum, quæ tractantur, difficultates, & studium brevitatis, peperisse talem obscuritatem; rigiditatem vero verborum adhibitam fuisse pro indignatione, qua afficior, dum video, tenni meo judicio, non agi apud Vestram Sanctitatem ea fide, & candore animi, quem res tam seria, & Sanctitatis Vestre veneratio postulant. Fere etiam patienter Vestra Sanctitas litras, & maculas hujus Codicilli; quia etas mea ingravescens, & continua, qua torquet, stomachi infirmitas non sicerunt, me rursus illum transcribere, ut testorem exhiberem Vestre Sanctitati, quam Deus ad Ecclesiæ suæ sanctæ profectum diu servet incolumem. Vestra Sanctitatis servulus humillimus, F. Jacobus le Bostu, Benedictinus, ex Canobio S. Dionysii in Francia, & Doctor Theologus ex Sorbona Parisiensis. Exstat Autographum in Tabulario Bibliothecæ Angelicæ, Ord. S. Augustini, inter cætera documenta, ad causam de Auxiliis spectantia.*

Libuit de eo Clarissimi Bossutii Judicio Censorio dicere paulo sulus, & quæ ad elevanda Germanicarum Academicarum suffragia observavit, distinctius adnotare, ut hinc Viri Literarii norint, quam temere ea nobis suffragia venditent Scriptores Molinianii; quam fidenter suas illas Academicas jactavit novissimus Actor Rothomagensis, in Thesibus die 10. Januarii 1698. *Moline Librum, Academicarum undecim judicio comprobatarum, effluens, ut incautos superbo Academicarum nomine terrificeret. Scholæ siquidem, quas hic tacitis nominibus appellat, Ingolstadtensis, Græcensis, Dilingana, Wirceburgensis, Moguntina, Mussipontana, & Trevirensis; non tam Academicæ titulum sentendæ veniunt, quam mera Societatis Gymnasia nuncupande. Aut certe, si eas honesto Academicæ nomine insigne lubet, has saltem Academicas Jesuitæ moderantur, Theologicas Ca-*

(1) Exstant in Tab. Augustin. Rome.

thodas occupant, gradus literarios dispensant, omnia pro nutu, & arbitrio regunt; ut non tam Theologi, affectu liberi, quam Jesuitæ ipsi, in quos intentata lis erat, pro sua ipsorum sententia suffragia tulisse, atque in partem adversam pronuntiassent, putandi sint. Ac re quidem ipsa factum compertur; quandoquidem Theologos inter quinquaginta, qui iis qualicumque Academicarum judicibus subscriperunt, quadraginta extriciter e Societate numerare licet, qui, arrogato sibi suffragii jure, domestica causæ judicium affectabant; atque etiam, quod festivum magis, ac lepidum, dissimulato in Chirographis, tactoque Jesuiticæ Professionis nomine, ut Romanis oculis facilis illuderent. Rem totam ob oculos ponam, & occultæ machinationis vela reducam; ne quis forte putet, id a me pro arbitrio dictum, ut Academicarum suffragia licentiam exsultarem. Ita quippe se habent publica earum Instrumenta, quæ quartum illud scriptum, a Jesuitis elaboratum, de quo mox dicebam, sua subscriptione comprobant.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ INGOLSTADIENSIS.

(1) Nos infra-scripti, alme Universitatis Ingolstadtensis Professores Theologi, ad hujus questionis discussionem Collegialiter, & specialiter congregati, matura adhibita consideratione, unanimiter censuimus, sententiam istam de promotione, & prædeterminatione voluntatis humane in opere justificationis, prout hic refertur, erroneam, & a scholis, & Templis procul arcendam.

Petrus Stevartius, Academiæ Ingolstadtensis Professor Theologus, & pro tempore Rector.
Albertus Hlungerus, ejusdem Academiæ Professor Theologus, & Præcanellarius.
Michael Eiselin, Theologia Professor, & hoc tempore Decanus.

Joannes Ripelius, Sacræ Theologiæ Doctor, ejusdemque in dicta Universitate Professor.
Jacobus Greserus, Sacræ Theologiæ Professor.

Tres hic Societatis Theologos habes, Michaelen Eiselinum, Joannem Ripelium, & Jacobum Greserum, qui, tacita in Chirographis professione, in causâ domestica judicium exercent, eaque studiosa dissimulatione incautus illud, Petrum Stevartium, Societati addictissimum probat Apologia, pro Societate Jesu ab illo conscripta, editaque Colonia anno 1594. Sed & ipsam Ingolstadtensem Academicam, jam ab anno 1556. Societati attributam ab Alberto Principe, ut ab illis protrata studia erigerentur, narrat Orlandinus Lib. 16. Hist. Num. 23. & 24. *Necessitati occurrere, Alibertus Ingolstadtensem Academicam valde collapsam restituere, & instituo Adolescentium Conubernio idoneam sobolem statuit educare. Horum operum adiutores, coram ab Canisio, per literas ab Ignatio, homines ipsorum e numero virginis postulas, Templum, domum, sumptusque vitæ necessarios large pollicitus. . . . Obedecim, salutato Pontifice, octavo idus Junias profecti sunt pedes. Tum, subinde narrata munificentia Principis, qua novos excepti Academiæ intauratores; a que scripturæ Sacræ, Theologiæ, Rethorice Cathedras regi voluit, primisque surgentium studiosorum exercitationibus recensitis, id coronidis loco ponit. Singulos autem Socios solemnî sacramento in membra Academiæ cooptari Princeps voluit. Et duos, quævis Philosophiam ipsi non docerent, tamen in Philosophorum ordinem assumi, qui consultationibus interessent, & promovendorum ad selenes gradus experimentis. . . . Dux mirum in modum successu lata-*

letatus, serio cepit, de extruendo a fundamentis Collegio, certisque reditibus firmando, deque ampli- ficando Operam numero cogitare, quod postea cu- mulatissime factum est.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
GRÆCENSIS.

Nos quoque infra-scripti, Sacræ Theologiæ Doctores, & Professores Alme Universitatis Græcensis, eandem sententiam, hoc scripto propositam, & re- futatam, Catholice doctrinæ adversari, atque ab Ecclesia, & scholis exterminandam esse, censuimus.

Paulus Heukirchius, S. Theologiæ Doctor, & Academiæ Rector.

Joannes Klein, S. Theologiæ Doctor, & Profes- sor, & hoc tempore Decanus.

Michael Pollet, Doctor S. Theologiæ.

Joannes Gerottus, S. Theologiæ Professor.

Academiam Græcensem nil, nisi Societatis Col- legium, esse, a Carolo Archiduce, Ferdinandi II. Imperatoris Patre, erectam, & Academiæ ri- tibus ornatum, nota res est. Paulum Heukir- chium, Joannem Kleinum, Joannem Gerottum, Michaëlem Polletum, Societatis Jesu viros esse, æque constat; tamen ad fucum faciendum, reli- giosam Professionem, subscribendo, reticuerint.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
DILINGANÆ.

Nos quoque Doctores, ac Professores Theologiæ in Academia Dilingana, Collegialiter congregati, sen- tentiam illam de Gratia prædeterminante, scripti hujus initio propositam, omnino falsam, & erro- neam, atque ab Ecclesia rejiciendam, & cum no- stri temporis hæresibus conjunctam, beneque, ac so- lide hoc scripto confutatam, existimamus. In quorum fidem nos hic subscripsimus 26. Maii 1599.

Matthias Mairhofer, Rector Academiæ.

Julius Priscianensis Cancellarius.

Joannes Pelicyus, Professor.

Petrus Bacherus, Theologiæ Professor.

Georgius Theoderus, Theologiæ Professor.

Joannes Saller, Theologiæ Professor.

Et hi omnes ad unum Jesuitici instituti Viri sunt, quod inter subscribendum de industria si- lent; ne cæteris stomachum moveant, dum de lite, in Societatem suam intentata, sententiam ferunt. Quin & id notum, Dilingæ Societatis scholam in publicam Academiam ab Æthone Car- dinali Truchesseo erectam esse, qui eam totam, & integram Jesuitarum curæ commisit anno 1564. Ita Sacchinus Lib. 8. Historiæ Societatis suæ N. 107.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
WIRCEBURGENSIS.

Et nos Theologi, & Professores Academiæ Wir- ceburgensis, judicamus, sententiam illam de Gratia prædeterminante, uti in hoc scripto refertur, falsam esse; & hoc possimum tempore a scholis (quod hæ- reticis non parum serveat) eliminandam.

Eucharis, S. Theologiæ Doctor, & ordinarius Professor, ac ejusdem Facultatis pro tempore Decanus.

Petrus Thyraus, S. Theologiæ Doctor, & ordi- narius Professor.

Martinus Becanus, S. Theologiæ Doctor, & Pro- fessor ordinarius.

Joannes Pernotus.

Hermanus Sandorpius, Studiorum Præfectus.

Eucharis demto, latent hic sub larva Jesuitæ Senatores, & de gravi supercilio in partem ad- versam virgam exerunt novo, atque in hanc diem inaudito jure. Et vero Wirceburgensem, five Herbipolensem Academiam, bellorum injuria col- lapsam, Societatis tandem Patribus anno 1564. datam esse, illorumque curæ commissam, testatur Andreas Mendo, Societatis Jesu Professor, libro De jure Academico, quæst. 4. & Jacobi Midden- dorpil suffragio confirmat. Herbipolensis Episcopus, ait ille, & Princeps Fridericus, Urbem, & Pro- vinciam instauraturus, a religione, & literis, que una fere interierant, exordium duxit; & anno 1564. dum adhuc fluctuabat, Societatis Jesu Patres evo- carunt, illisque juvenutem tam in bonis literis, quam pietate, & moribus erudiendam, instituendamque commisit.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
MOGUNTINÆ.

Et nos inelyte Academiæ Moguntinæ Theologi Professores, a Facultatis Theologiæ Decano convocati, cum privatim singuli scriptum hoc legissemus, ac per- pendissemus, unanimi consensu judicavimus, Opinio- nem illam de Divina prædeterminatione voluntatis nostræ, initio propositam, & confutatam, inter pe- riculosas, erroneas, & temerarias numerandam, me- ritoque Sedis Apostolicæ calculo videri condemnandam.

Stephanus Umberus, Episcopus Misenis, Suffra- ganus Moguntinus, S. Theologiæ Doctor, & Fa- cultatis ejusdem pro tempore Decanus.

Joannes Buseus, S. Theologiæ Doctor, & Profes- sor ordinarius.

Christianus Agricola, D. Petri, & Pauli Colle- giarum Ecclesiæ Moguntinæ Præpositus, & Deca- nus, Sigillifer Reverendissimi.

Joannes Musulinus, S. Theologiæ Professor ordi- narius.

Albertus de Puteo, S. Theologiæ Doctor, Edis D. Albani extra muros Moguntinus Vicarius.

Franciscus Rapedius, S. Theologiæ Doctor.

Georgius Bademus, S. Theologiæ Doctor, & Stu- diorum Præfectus.

Thomas Masonius, S. Theologiæ Doctor, & Profes- sor ordinarius.

Petrus Vvindus, S. Theologiæ Professor ordina- rius.

Nicolaus Serrarius, S. Theologiæ Doctor, & Profes- sor ordinarius.

Septem hic Societatis Agores in scenam veniunt, qui, seposita Sodalitii veste, Thomistica scholæ doctrinam ludunt. Nimirum Joannes Buseus, Joannes Musulinus, Franciscus Rapedius, Georgius Bademus, Thomas Masonius, Petrus Win- dus, & Nicolaus Serrarius. Academiam Mogun- tinam nil, nisi Societatis suæ scholam, esse, mo- net idem ille, jam a me appellatus, Andreas Mendo. Moguntina Academia, instituta anno 1482. a Diethero Iseburgo, Archiepiscopo Moguntino, Pa- tribus nostræ Societatis Jesu diu tradita est, in eaque Philosophiam, linguarum notitiam, & Theologiam edocent.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
TREVIRENSIS.

Nos Decanus, & Facultas Universitatis Treviren- sis, ve proposita, diligenterque discussa, tandem con- clusimus, hanc sententiam, que sequitur, Gratiam Dei efficacem contineri proprie Divina quadam Præ- determinatione voluntatis humane; que prædetermi- natio sit impressio Divina hujusmodi nature, ut, illa impressione posita, & stante in hominis volun- tate,

tate, non possit homo non converti, sed necessario, ex illius impressionis hypostasi, suapte natura volun- tas hominis convertatur, esse non modo temerariam, & periculosam, verum etiam a sacro-sancta Synodo Tridentina non obscure improbari; ac proinde minime in scholis tradendam, aut evulgandam, salvo melio- ri judicio.

Ego Joannes Macherentinus, S. Theologiæ Doctor, & pro tempore Facultatis Theologiæ Decanus, sub- scripsi.

Similiter & ego Ambrosius Carolus, S. Theologiæ Doctor, & Professor ordinarius, & præfectus studio- rum.

Idem & ego sentio Adrianus vanden-Bruel, S. Theologiæ Doctor, ad sanctum Simonem Canonice Cathedralis Ecclesiæ Trevirensis, Rector.

Idem & ego Jacobus Fischerus, S. Theologiæ Do- ctor, Canonicus, & Cantor S. Mariæ Rotatiensis.

Similiter & ego Petrus Rossembam, Collegii Rec- tor.

Similiter & ego Conradus Hungerus, S. Theolo- giæ Professor.

Huic Trevirensium judicio confedere viri e So- cietate, numero quatuor; Joannes Macherentinus, Ambrosius Carolus, Petrus Rossembam, Conradus Hungerus; tamen de industria nullam, inter sub- scribendum, Instituti sui mentionem faciunt.

Quid plura? hæc ipsa Trevirensis Academia, ea præsertim ætate temporum, qua se in istam de Divinis Auxiliis litem intulit, sub Patrum So- cietatis cura debebat. Id ex Jacobo Middendorpio facile colligas, Opusculo de Academiis Chri- stiani Orbis, quod anno 1572. Pio V. Pont. Max. nuncupavit: ubi hæc habet Lib. 2. Trevirensis hæc Academia antiquissima quidem omnium Aca- demiarum Germaniæ esse creditur; sed propter varias ejus mutationes, temporisque injuriam, fere collapsam, nuper prudentissimi Archiepiscopi Joannis volunta- te, & magnificentia, Domini de Societate Jesu in- stauratum.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ
VIENNENSIS.

Nos infra-scripti Alme Universitatis, & Archiepi- scopi Viennensis Theologi censuimus, sententiam ini- tio hujus scripti propositam, & eodem scripto confu- ratam, erroneam esse, nec in Ecclesia Dei toleran- dam.

Joannes Pollinger, S. Theologiæ Doctor, & pro tempore Academiæ Viennensis Rector.

Melchior Chelst, Episcopus novæ Civitatis Ad- ministrator, nec non Academiæ Viennensis Cancellarius.

Joannes Montanus Mollensis, S. Theologiæ Doctor, ac ejusdem in Academia Professor, & pro tempore Facultatis Theologiæ Decanus.

Joannes Pampelius, S. Theologiæ Doctor, & Profes- sor primarius, Canonicus Viennensis.

Balthassar Scultetus, S. Theologiæ Doctor, Cano- nicus Custos Cathedralis Ecclesiæ, nec non Curie Episcopalis Viennensis Officialis, & Vicarius gene- ralis.

Laurentius Bruyckeus Bonfamus, S. Theologiæ Doctor, & ejusdem Professor in eadem Academia.

Joannem Montanum Mollensem, & Balthassa- rum Scultetum Theologicas Societatis Cathedras ea ætate exisse, comperi, facta per amicos in- quiritio. Et hi porro, ut vides, Institutum, ac Professionem de industria in singraphis silent. De Academia Viennensi paulo temperantius pro-

nunciaverim. Quamquam enim illam anno 1529. Turcarum obfidiione plurimum detrimenti cepisse, sciam, (1) ac tum pene ad incertas redactam sub Ferdinando I., dum hæresis, Germaniam depopu- lata, magnam Doctorum, & Professorum partem invalisset; quo tempore in eadem admissa Societas est, ut ejus ope muniretur: nuspium tamen lege- re contigit, uni tunc Societati traditum litera- rum imperium, ut unico illorum Collegio Theo- logica disciplina concluderetur. Dnas nihilominus illi tunc attributas Theologiæ Cathedras, scribit Franciscus Sacchinus Lib. 2. Historiæ Societatis suæ, num. 118. In Viennensi Academia plerique Doctorum erant dubie fidei: Idcirco Societatis Do- ctores auctoritate Casarea confirmavit; eorumque duos in Academia Divinas tradere disciplinas, voluit. Nec multo post, tantam illic auctoritatem obtinuerit, seu quod constanti apud Imperatores gra- tia fruerentur; seu quod omnes pene Cathedras regerent, cæteraque nonnisi instituti ab istdem discipuli occuparent; seu quod Sacras Literas ple- rique Religioforum Ordines minus colerent; ut cuncta nutu moderarentur, ac majori forsitan im- perio, quam si (quod in aliis acciderat Aca- demis) intra domesticos lares facultatem Theolo- gicam conclusissent: Qui cum alibi domi tantum, illic domi simul, & foris imperiant.

Neque vero id mirum, aut Academiæ Vien- nensis singulare. Societati quippe ea lex est, ob- servatione dignissima, ut Academiæ vectigales sibi faciat; nec in eas admittatur ipsa, sed illas potius admittat; & quidem ex charitatis officio, non leges ab iis acceptura, sed datura, uti moderatrix, & Domina. Ita nempe 4. Constitutio- num parte, Cap. 11. de Universitatibus, in So- cietatem admittendis, sanctum est. Eadem Cha- ritatis ratio, qua Collegia admittuntur, & publicæ scholæ in eis, non tantum ad nostrum, sed magis etiam ad externorum edificationem in doctrina, & moribus tenentur, extendi poterit ad Universitatum curam suscipiendam; ut in eis hic fructus exenda- tur, latiusque pateat, tam in scientiis, que tradun- tur, quam in hominibus, qui ad eos conveniunt, & gradibus, ad quos promoventur: ut in aliis locis cum auctoritate docere possint, quod in his bene ad Dei gloriam didicerint. Quibus tamen conditionibus, & obligationibus, quibusque in locis, hujusmodi Universitates admitti debeant, ei, qui supremam cu- ram Societatis habet, judicandum reliquitur, qui, Assistentium sibi auditis sententiis, & aliorum, quos in consilium adhiberi volet, per se ipsum deliberare poterit, an sint admittende. Non tamen, postquam admisse fuerint, sine Congregatione generali per eum dissolvi poterunt.

INSTRUMENTUM ACADEMIÆ MUSSIPONTANÆ
IN LOTARINGIA.

Nos infra-scripti Academiæ Mussipontanæ Theologi, & Professores existimamus, sententiam, in hoc scripto propositam, & refutatam, periculosam, & erroneam esse, neque in Ecclesia tolerandam.

Joannes Michulidus, Rector Academiæ.

Christophorus Brossardus, Cancellarius.

Joannes Vuelstius, Doctor.

Balthasar Carvassius, Theologiæ Professor.

Joannes Castellarius, Theologiæ Professor.

Joannes Bonettus, Theologiæ Professor.

Leonardus Perinus, Theologiæ Professor.

Philippus Monceus, Theologiæ Professor.

Hos

(1) Midd. Lib. 2. Mendo. Lib. 2. Qu. 1.

Hos omnes Societatem professos esse necesse est, cui uni Academicæ dignitates, & Cathedrae sunt attributæ ex ipsius Institutionis tabulis. Quin & ipsam Mussipontanam Academiam, ab Cardinali a Lotharingia erectam, nil, nisi Societatis Collegium, esse, Academicæ juribus auctum, & graduum conferendorum auctoritate donatum, nemo nescit.

E Theologis ergo quinquaginta, quorum nomina Academicarum Instrumentis inscribuntur, quadraginta ferme Societatis Professores habes. Horum quindecim nobis exhibet Societatis Bibliotheca, Principibus permixtos Achivis, occasione scilicet Librorum, ab eis editorum; nimirum, Michaelem Eifelin, Jacobum Gretserum, Matthiam Mairhoferum, Julium Priscianensem, Joannem Pelecium, Joannem Sallerum, Balthasarem Chavassium, Leonardum Perinum, Philippum Monacum, Joannem Macherentium, Petrum Thyreum, Martinum Becanum, Joannem Buseum, Joannem Mulsinium, Nicolaum Serrarium. Quinque nobis exhibet Sherlogus, Societatis scriptor, qui, sub Pauli Leonardi nomine, Scientiæ-Mediæ Apologiam elucubravit, ut Societatis viros; videlicet, Joannem Pernotum, Hermannum Sandorpium, Franciscum Rapedum, Thomam Mafonium & Petrum Vvindum. Joannem Ripelium, suum agnoscit Quæstionum Auctor pag. 159. Ceteros, partim spectatis Academicarum legibus, partim facta per amicos inquisitione, Societatem professos esse, deprehendimus.

Ceterum quis id legat, nec statim fiduciam demitteret, qua Moliniana scholæ Senatores domesticæ causæ iudicium sibi arrogabant, & quidem tacita ubique in singulis Professione Jesuitica, ut pudori consulerent; & ostentato Academia titulo, ut imprudentibus ora sublevarent, & Romanos magni nominis umbra terrefacerent? Et tamen de eo juniorum Academicarum suffragio sibi plaudunt boni homines, e quo si Jesuitas, præcipuos totius scenæ actores, expunxeris, vix intra decem Theologos, in ipsa schola Jesuitica institutos, totum octo simul Academicarum iudicium stabit: quos etiam fucata Thomistica sententiæ expositione deludere, facile fuit. Equè ergo exhibendus, quilibet id in Societatis doctrinæ commendationem ostentat, ac si quis hæresim Ariannam (absit tamen comparationis invidia) eorum Conciliabulorum suffragio communitet, quibus Ariani Præsides aderant, & Catholicarum partium Episcopos numero, atque auctoritate vincebant. Exhibendus longe magis Rothomagensis Professor, qui eas Jesuiticas Academiæ Molinæ Librum approbasse commisit, quæ unius Gratiæ se ipsa efficacia, ac prædeterminantis iudicium sibi arrogaverant; cæteris silentio missis Molinæ placitis, quæ majori Theologorum invidia patent.

Quamquam, si qui Theologi iis iudiciis calculos addiderunt, partium conditione exsolverentur, omnique affectu vacui, censendi jure potiri possent; necesse tamen iis suffragiis læta Angelicæ Scholæ doctrinæ putanda esset, utpote quæ aliis plane coloribus expressa esset. Id quippe unum damnasse censetur, cuius damnatio oblato scripto præbatur, uti doctissimus Bossuetus observavit. Quæ itaque lege Pelagius a synodo Palæstina absolutus censi nequit, dum absolutionem fallendo, sumtus est, ut loquitur D. Augustinus; (1) quia, fallaci doctrinæ suæ professione exhibita, creditus est sentire laudanda, cum eum iudices non intelligerent occultare damnanda; ita nec Prædicatorum sententiæ proscripta putanda esset, dum, larvata ejusdem expositione incautis Theologis oblata,

crediti sunt sentire damnanda, cum non intelligerent ab illorum æmulis occultari laudanda.

CAPUT XIX

Paulus V., inito finiendæ Controversiæ consilio, Bullam Pontificiam Consultoribus delineandam committit: quam illi, diligenti studio elaboratam, Sanctitati Suae tradunt.

Interea Paulus V. die 9. Martii, post habitam die superiori Congregationem, de qua initio præcedentis Capituli diximus, majoris Cardinalium partis suffragia secutus, Congregationis Secretarios vocavit, quibus suscepti consilii rationem aperuit. Cumque in hac tanta instituti per decennium examinis diuturnitate, de iisdem sæpe quæstionibus dictum esset; nec omnes pari censura dignæ, ejusdemve momenti videri possent, sed aliæ ad alias, uti consecrariæ, revocarentur; brevem, expeditamque censuram omnium summam a Consultoribus edidit; quæ, missis quibusvis ambagibus, proscripti errores notarentur, quos Pontificio diplomate damnari, necesse foret.

Ut autem novus labor novi etiam examinis loco esset, ubi majori, si fieri posset, quam hædenus, libertate, omnique humano affectu deposito, sententiam dicerent; voluit, ut Consultores separatim, ac nulla secum habita collatione, nullique mortalium communicato consilio; tria hæc scriptis mandarent: 1. Quid fide in hac materia tenendum esset; quid damnandum; quæque ratione. 2. Quæ parte ab hæreticis catholicis differant. 3. Quis modus in edendo Pontificio Diplomate servari posset: suaque demum scripta, obsignata Secretariis darent, qui eadem illa Sanctitati Suae integris signis resisterent. Ne porro iusta sua obliterari, aut aliqua sui parte minus religiose impleri, contingeret, hæc abeuntibus Secretariis schedam dedit, propria manu scriptam, voluntatis suæ testem & obfidem.

Ciascuno de Consultori separatamente, senza communicar l'uno con l'altro, mirando solo alla verità, & al servizio di Dio, e postollo ogni rispetto, e passione, come ricerca la verità della Causa, che si tratta, metta in carta con la maggior brevità, e chiarezza, che sia possibile, il parer suo circa quello, che s'ha da tener de fide, in materia de viribus liberi arbitrii, & de gratia Dei efficaci.

Di più noti il modo, che li parerà si deve tenere in formar la Bolla, o Costituzione, che s'ha verà da fare, & in particolare, se nella narrativa s'ha verà da far menzione d' Autori, che habbino stampati libri in questa materia: Se delle due Religioni di S. Domenico, e Gesuiti, e di quel più, che li occorrerà d'averire, e ricordare.

In oltre si desidera, che mostri la diversità, ed in questa materia è fra la dottrina Cattolica, e l'impietà degli Eretici, toccando brevemente, in che consista la diversità.

Di più noti il modo, che li parerà si deve tenere in formar la Bolla, o Costituzione, che s'ha verà da fare, & in particolare, se nella narrativa s'ha verà da far menzione d' Autori, che habbino stampati libri in questa materia: Se delle due Religioni di S. Domenico, e Gesuiti, e di quel più, che li occorrerà d'averire, e ricordare.

S'ordini a ciascuno da parte nostra, che del presente nostro Ordine, e del parere, e scrittura, che daranno, non ne parli, nè la mostrino ad alcuno, ma la mandino a noi medemi; e la consegnino ad uno delli Secretarii sigillata: Volendo Noi, che si serva il secreto sotto pena di scomunica lata sententiæ: acciò li voti, e pareri, che si daranno, non stiano publicati, e divulgati.

PAULUS PAPA V.
Quod

Quod quidem Pontificium Rescriptum ita latinis oculis dedit Gregorius Coronellus, cujus in commentariis legitur.

Unusquisque Consultorum sigillatim, nulla de hac re inter sese habita consultatione, aut propria sententiæ manifestatione, ita mentem ad solam veritatem, & Divini Nominis cultum, & honorem traducat: ut posthabitis omnibus humanis rationibus, prout cause, & controversiæ, de qua agitur, pondus, & magnitudo exigat, quæ maxima fieri poterit, brevitate, & perspicuitate, scriptis consignet, quæ consueti esse de fide tenenda, in materia de viribus Liberi Arbitrii, & de Gratia Dei efficaci.

Item distincte notes, & observet singulas propositiones erroneas, quæ condemnandas putabit; & breviter ac distincte assignet possimas rationes, & auctoritates, quibus ad ita scribendum inducatur.

Exponitur etiam, ut, quodnam sit discrimen in hac materia inter doctrinam Catholicam, & hæreticorum impietatem ostendat; breviter assignando, in quo potissimum ratio discriminis consistat.

Notes insuper methodum, quam putabit observandam in Bulla, quæ instituida erit, seu Apostolica Constitutio: & peculiariter, An in Præfatione fieri debeat mentio Doctorum, qui de hoc argumento libros ediderunt; & utriusque Ordinis, S. Domini, & Societatis, & quæcumque existimabit digna, quæ exponantur.

Denique omnibus, & singulis Consultoribus nomine nostro prescribatur, ut de hoc nostro Mandato, & Decreto, aut sententiæ propria, nullus eorum cum aliquo alio verba faciat, nec scriptum, quod ediderit, alicui ostendat; sed illud nobismetipsis exhibeat, aut uni ex Secretariis Congregationis, proprii tamen nominis signo, & sigillis munitum, consignet.

Volimus autem, ut secreto omnia hæc peragantur, sub pena excommunicationis late sententiæ; ne iudicia, & vota Consultorum, quæ nullo modo divulganda censemus, alicui possint innovescere.

PAULUS PAPA V.

In hac curam intenderunt meritis Consultores usque ad finem Augusti: quo tempore obsequata uniuscuiusque iudicia Summo Pontifici data sunt. Uno excepto Antonio Bovio, concors fuit cæterorum omnium de damnandis erroribus opinio; tamen (ut a muris colloquiis abstinuerant) sua quisque sententia, iudicia, rationes, prominervæ, & ingenii varietate, non uno modo expressisset.

Rem gratam habuit Optimus Pontifex; ac, ne quid ultra pro rei gravitate desiderari posset, voluit, ut iidem Consultores mutuo tandem colloquio doctrinam, Pontificio Diplomate sancientiam, quæ majori posset, perspicuitate, ac brevitate definitur, superiorumque annorum censuras iterum incudi redderent. Mandata sua Secretariis dedit die quinta Octobris, quibus Archiepiscopi Armachani adesignavit, quibus Archiepiscopi Armachani adesignavit, ubi extremi illi congressus haberentur. Do Notarii verba, Congregationis Actis inscripta; ne Diploma Pontificium, jubente Pontifice, a Consultoribus delineatum, pertinaciter neget Quæstionum Eventilator, idemque fictitiorum errorum adnotator. „ Sanctissimus Dominus noster, perulstratis, & accurate consideratis eorum scriptis, die Jovis, quæ fuit quinta Octobris, anno Domini 1606. Pontificatus vero sui anno secundo, ut gravissimam hæc Controversiam ad optatum exitum producat; (hoc enim univertus Orbis Christianus summopere exoptat, exposcit, & flagitat) ad Serry Tom. I.

hibito consilio Illustrissimorum DD. Cardinalium, Generalium Inquisitorum, iudicavit, e re præsentis fore, ut Domini Consultores rursus inter sese conventus celebrarent, & repetitis Actionibus simul, quæ ad dirimendam controversiam de Auxiliis Divinis, tandiu agitatur, damnandas censerent propositiones, diligenti studio seligerent: quæ etiam in Bulla exprimerent, quæve attingere oporteat, accurate observarent, atque ad veram, & aptam formam reducerent; ita tamen, ut, in explicandis contrariis veritatibus erroribus, perspicuitati studeat, & omnis tergiversandi occasio, sublati æquivocationibus, & verborum ambiguitate, penitus subtraheretur. Quæ omnia SS. Dominus noster Patribus Secretariis, ad se vocatis, præcepit, ut primum Domino Archiepiscopo Armachano, apud quem habendæ essent Congregationes, dehinc vero cæteris Dominis significarent.

Novies solido mense convenerunt; nempe diebus Octobris 19. 25. 26. 30. Novembris 8. 9. 15. 16. & 19. Exhibuit sacro Concessit Archiepiscopus Armachanus Canones, a se jam antelaboratos, quibus superiorum annorum potissimas Censuras brevi comprehendat; ut in Pontificio Diplomate inscriberentur. Noluit Antonius Bovius sententiam dicere; sed contrariis univertis Ordini studiis, & opinionibus occupatus, suum de controversiis quæstionibus iudicium Pontifici per Epistolam exposuit, mense Julio anni sequentis; addito informi edendæ Bullæ Pontificiæ specimine contra cæterorum omnium vota, atque iudicia. Cæteri omnes cum Archiepiscopo Armachano ita pronuntiarunt, ut in Autographo Coronelli, Congregationis Secretarii, legitimum, propriis Consultorum subscriptionibus munito, prout exhibemus in appendice. (2)

Finitis Consultorum congressibus, novit Paulus V. ex ipsa Actuum lectione, eorum quidem (si Bovium exceperis) unam esse de damnandis propositionibus opinionem; non omnino tamen in aliquibus exponendis inter illos convenisse. Notatos errores, nec satis distincte dispositos, nec satis nitide, ac breviter expressos iudicavit, pro Bullæ Pontificiæ conditione. Eas ergo limitari denuo, distinctiorique methodo disponi iussit. Ac, ne tot Censuram collata studia brevitas, ac perspicuitati, quæ æmulari necesse erat, quadanteenus officeret, provinciam hanc solis Secretariis, & duobus Archiepiscopis demandavit die 23. Novembris 1606. ea nihilominus conditione, ut suas tandem lucubrations cæterorum iudicio committerent.

Onus, lubenti animo susceptum, non sine mora consecutum est. In id integro semestri infudatum ad initium scilicet Maij anni sequentis, Pontificii Diplomatis exemplar delineavit Archiepiscopus Armachanus, in tres, ut ita dixerim, partes distributum. Prima proloquio constabat, ubi multa enarrabat de Pelagianorum erroribus, de sanctanda Divi Augustini, ac S. Thomæ doctrina, de Summorum Pontificum in proligandis Divinæ Gratiæ hostibus zelo, ac diligentia. Secunda novem tenenda, & definiendæ doctrinæ capita complectebatur. Tertia propositiones quinquaginta erroris notabat, quatenus statutis capitibus adversa erant. Quatuor scilicet priores propositiones conscribebat, uti capiti primo repugnantes; atque ita ex ordine octo proxime sequentes, uti secundo capiti adversas, proscribebat; tum subinde quinque, tertio contrarias; rursus quinque alias, quarto oppositas, duodecim quinto, tres sexto, tres iterum septimo, sex octavo, qua-

R r
tuor,

(1) Ex Actis Secret. (2) Num. XIII.

tuor, nono capiti repugnantes, erroris nota- bat.

Lucubrationis eruditionem, & orthodoxiam sum- moperare probarunt Patres Secretarii, & Archiepi- scopus Traneusis: verum adduci non potuerunt, ut ei plane assentirentur. 1. Quod tenendæ doctrinæ capita, sana licet, & orthodoxa, aliquantulum obscuriora, ac præter Pontificis voluntatem defi- nita, viderentur: utpotè qui damnatas duntaxat propositiones colligi iusserat; nihil de oppositis propositionibus injungens, quas in Catholicas veri- tates statuere, necessum esset. 2. Quod ex dam- nandis propositionibus (tamen iusto titulo dam- narentur omnes) nonnullæ essent, de quibus obiter tantum, non ex instituto disputatum erat; alia Molinæ quidem sensum, non ipsa tamen verba redderent: alia paulo confusius, & minus nitide proponerentur: alia tandem quorundam Docto- rum essent, quorum iudicium Apostolica Sedes Congregationi minime commiserat. At, cum neutra pars alteri cederet; ex Pontificis iussa ad integrum Censuram Confessum delata res est die Maij 11. Cardinali Pinello Pontificis voluntatem significante.

Secretariorum iudicium probarunt per omnia Consultores. Intacta meditate Bullæ Proludio, ita de reliquis partibus, ab Archiepiscopo Armachano digestis, pronuntiarunt, datis Sanctitati Suae brevibus observationibus die 24. Junii; quas in Congregationis Commentarios retulit Coronellus.

AD CAPITA

Doctrina, exhibita RR. DD. Consultoribus, cum propositionibus illis contrariis, ex Molina desumptis, Observationes.

1. Censuerunt omnes, doctrinam, contentam in didis Capitibus, esse sanam, & Catholicam, sed obscure traditam, & præter Mandatum SS. D. N., atque adeo, inconsulta Sanctitate Sua; de illa agendum non esse. Quod si S. D. judi- cabit, e re præsentis fore, ut doctrina aliqua præponatur Propositionibus condemnandis, illam reducendam esse ad strictiorem, & clario- rem formam.

2. Observarunt, ex prædictis Propositionibus aliqua quidem esse Molinæ, & manife- ste erroneas; sed neque in Disputationibus an- ni 1601. neque in Concertationibus, habitis primum coram felicis recordationis Cleme- te VIII., postea vero coram S. D. N. Pa- pa Paulo V., fuisse agitata; alias vero esse aliorum Doctorum, quorum opera expurgan- da commissa non sunt Congregationi. Et id- circo, ne ulla iusta offensionis occasio detur, utraq; omittendas, quousque Sua Sanctitas hac de re consulatur.

Videlicet ex Capite primo priores tres Pro- positiones; ex Capite secundo octavam, ex Capite quinto sextam, & octavam; in qua- rum loco sufficiuntur duæ ex Dubio, propo- sitiones à SS. D. N., Papa Paulo V. sub eisdem verbis: ex Capite sexto omnes: similiter ex Capite septimo.

3. Censuerunt præterea, Propositiones noni capitis non satisfacere Disputationibus, habitis coram S. D. N., in quibus resolutum fuit, Do- num Perseverantiæ esse singulare, & proprium donum Electorum; per illud non solum fieri, ut possint perseverare, sed etiam ut non nisi perseverantes sint; & cum ejusmodi dono opti- me consistere humani Arbitrii libertatem: do- ctrinam vero Molinæ continere tres errores

Semipelagianorum, iis veritatibus contrarios; atque adeo condemnandum esse sub eisdem ter- minis, quibus de ea disputatum fuit, prout in Actis.

4. Denique censuerunt, nonnullas ex prædi- ctis Propositionibus, in scripto traditis, reducen- das esse ad meliorem, & clariorem formam, vi- delicet ex secundo Capite primam, secundam, quintam, sextam, & octavam; ex Capite ter- tio, quintam.

Desiderarunt etiam, ut in prioribus quatuor Propositionibus adderetur verbum: *Naturalem*; sed R. D. Rada puravir, per quintam Propo- sitionem satis explicari, de quo actu agatur in prioribus. In quarta Capitis quarti addendum: *Et ut viscaria meritorum vite eterne contineat*. Item ex prima, & secunda quinti Capitis for- mandam esse unam Propositionem; quartam vero reformandam, & ex ea amovendam omnem æquivocationem. Addendam etiam unam pro- positionem de duobus, æquali auxilio vocatis ad fidem, & penitentiam; hac enim fuit origo totius Controversiæ. In septima addendum: (post verbum: *conditio naturali hominis*) *aliquæ exterioribus circumstantiis*. Ex Capite 8. in prima ponendam esse definitionem Scientiæ-Medi- cæ sub iisdem verbis Molinæ. In quinta adden- dum: (post vocabulum: *beneficiorum*) quibus, *prout veniunt a Domino, certissime liberantur*; postea vero addendam illam Propositionem Molinæ: *Deus voluntate absoluta nulli, adulterum voluit beatitudinem, & merita, ad eam conse- quendam necessaria*.

Ita sentio ego Archiepiscopus Traneusis, F. Joannes de Rada, Episcopus Patensis.

Ego F. Julius Sanctiucius, Episcopus.

Ita sentio ego Lelius Lanus, Episcopus Neritonen- sis.

Ita sentio F. Hieronymus Pallanterius, Episcopus Bituntinus.

Ita sentio Dominus Anastasius, Abbas S. Pauli de Urbe, Secretarius.

Ita sentio F. Joannes Baptista de Plumbino, Ordinis Eremitarum S. Augustini Procurator Gene- ralis.

Ita sentio F. Gregorius Nuntius Coronel, Secre- tarius.

Ita sentio F. Jacobus le Bossu, Doctor Sorbo- nicus.

Descendit in vota Consultorum Paulus V. Ar- chiepiscopo Armachano data est optio, ut vel opus suum perpoliret ipse, vel a Gregorio Coro- nello perpoliri, sineret. Assensu Vir Illustrissimus, immo & utrumque simul tentari voluit. Lucubra- tionem suam secundis curis castigavit, quo tempo- re illam ipsam seorsim castigaret Coronellus. Non- nulla in capitibus tenendæ doctrinæ emollivit; qui- bus caput integrum addidit, sexto ordine positum, de modo motionis gratiæ Dei. E damnandis pro- positionibus rescivit aliquas, quæ ad ceteras fa- cile revocabantur; alias aptiori methodo, & or- dine digessit; suamque demum castigationem, post- habito cæterorum Censuram iudicio, Pontifici dedit.

Coronellus e contra, relicta tenendæ doctrinæ capitibus, & in unam damnandarum propo- sitionum castigationem incubuit; nec eam ante Pon- tifici exhibuit, quam ad cæterorum criterium vo- casset. Quater sub lima fuit: primum die 12. Ju- nii, præsentate universo Censuram confessa: tum diebus 10. & 11. Julii coram Archiepiscopo Tra- nensi, & Jacobo Bossuto, qui eandem cum Baii damnatione contulere, ne quid illi adversum ir- repisset: tertio, die mensis ejusdem 13. coram iisdem Cognitoribus: quarto demum, die cir- citer

citer 20. qua a singulis Censuribus recogni- ta, probata, & propriis scripturionibus communi- ta est.

Secretariorum opus, a meritisimis Collegis re- cognitum, probavit Pontifex, & Archiepiscopi Armachani lucubrationi prætulit: quanquam u- num utrobique de damnandis erroribus iudicium esset, sola expositione, seu enarratione diversum. Transumpta ad Eminent. Cardinales, in Congre- gationem Auxiliorum ascitas, deferri voluit, ut & ipsi constitutos tempore sententiam dicerent.

Nos utrumque uno, eodemque in schemate sub- jicimus in Appendice; (1) ubi præter Bullæ Pon- tificiæ prolium, ac tenendæ doctrinæ capita, ab Illustrissimo Armachano secundis curis adorna- ta, tres damnandarum propositionum appendices representamus. Prima damnandas propositiones complectitur, ab eodem primo delineatas: altera easdem illas, ab ipso castigatas: tertia propo- sitiones, a Secretariis digestas, & a reliquis Con- sultoribus ultimo recognitas, atque a Summo Pon- tifice probatas.

Hæc omnia distincte, ac minutatim nosse de- buerant nugacissimus cavillator, in sua ad Abbatem quemdam Epistola: *de nova Auxiliorum edenda historia*; & in Quæst. momentosis, post vulgatam historiam elaboratis: ne, omnia promissive, ac sine iudicio miscens, nullius se cerebri virum pro- deret. Sunt ergo quatuor hæc plane distincta: 1. Damnandæ doctrinæ Canones, solum Congrega- tionibus, elaborati a die 19. Octobris ad diem 19. Novembris, & ab omnibus Consultoribus, uno excepto Antonio Bovio, quondam alias Je- suita, subscripti. 2. Propositiones erroneæ, ab Archiepiscopo Armachano primum digestæ, atque ex præfatis doctrinæ capitibus expresse, ut Pon- tifici Diplomati infererentur. 3. Eadem illæ pro- positiones erroneæ, ab eodem Archiepiscopo se- cundis curis castigatæ, ac inverso tantillum ordi- ne digestæ. 4. Propositiones erroneæ, a Patribus Secretariis limatæ, & a reliquis Consultoribus ul- timo recognitæ, ab aliis Archiepiscopis Armacha- ni, ordine tantum, ac pauculis vocibus diversæ; nonnullique relictis, quæ ad ceteras facile revo- cabantur. Hæc porro ultima propositionum dispo- sitio meditato Diplomati Pontifici inserta est, utpotè cæteris distinctior, & accuratior. Cete- rum nemo non videt, tantillam illam Armacha- ni a cæteris Consultoribus disensionem, non ipsam damnandæ doctrinæ summam spectasse, quam per- petuo, constanter ad ultimam usque diem erro- neam pronuntiaverat, & hac sua ultima lucubra- tiuncula denuo proscripterat; (2) sed ordinanda- rum propositionum methodum spectabat unice; hæcque una de causa Pontifici scripserat, nolle se digestis a Secretario propositionibus subscribere; quod nempe ceteras, a se ipso digestas, probaret magis.

Hæc si scivisset novissimus cavillator, non ita, pro tricandi libidine, vulgata a variis meditate Bullæ exemplaria velicasset; ut Bullæ specimen, vano ejusmodi inter illa repugnantiæ obtentu, fictitium ostenderet; nec Illustrissimum Armacha- num, contra manuscriptorum omnium fidem, Molinæ sui Patronis adnumerasset. Novisset enim, viris illis, qui paucula causæ hujus documenta, ac persuntorie duntaxat evolverant, proclive fuisse, ut alii alias, distinctis curis digestas, propo- sitiones, aut etiam damnandæ doctrinæ Canones, cum ipsis Censuram chirographis, adumbratæ Bullæ mi- nus caute infererent: unde illa in speciem exem- plariorum vulgariorum pugna enata est. Sed ab hoc vitio procul hic absumus, qui omnia hæc

Serry Tom. I.

observavimus minutatim, distinctimque in Ap- pendice. (3)

Univerfa hæc scivisse Franciscum Annatum, sed de industria dissimulasse, certum est; dum in Informatione de quinque Propositionibus, quas Episcopi Galliæ Romano Pontifici ad censuram obtulerant, suos his verbis Janfenistas convenit, pag. 66. N. 59. „Sexto monendi sunt Janfeniani, non unicum circumferri Bullam, ad terminandam controversiam de Auxiliis, compositam. Est & alia, quam alii forte non viderunt, a precedenti differentissima. Possent uno illis verbo indicare, ubinam sit; sed excedenda est eorum diligentia. Inquirant, ubi asseratur scripta Antonii Bovii, Episcopi Melphitenis, & Petri Lombardi Archiepiscopi Armachani, qui in hujus Controver- siæ discussione inter Consultores fuerit eruditio- ne, & pietate non infimi. Videant, num inter illa reperitur scriptum, cui titulus: *Tenar Bullæ talis, vel similis esse poterit*. Exordium autem subiicitur in hunc modum: *Inter alia multa, & gravissima &c.* Hæc est Bulla, sub si- nem disputationum composita, in qua nullius propositionis damnatio exprimitur; duodecim, tantum Articuli Divinæ Gratiæ definiuntur, excluso semper illo capitali Controversiæ pun- cto de Gratia physice prædeterminante, quod scriptor diserte significat indecimum esse debere, donec Ecclesiæ suæ lumen abundantius Dei pro- videntia communicarit.

Duplex quidem Pontificii diplomatis specimen editum, scimus: at unicum, a Summo Pontifice ultimo recognitum, probatumque: illud nempe, quod a venerando Censuram Ordine digestum fuerat, quodque lati iudicii loco haberi potest, est non rati, aut legitime promulgati. Alterum ab unico Bovio, Societatis olim Professore, cæteris omnibus Censuribus dissentientibus, delineatum, ostendimus, cui nulla idcirco auctoritas inest. Tam ergo ridendus venit, qui hoc ultimum ostentare velit, ac si privati ejusmodi Senatoris suffragium, cui singularis de agitata lite opinio fuit, superius efferret, & cum adverso supremæ Curiæ iudicio componeret. Trepidius autem hallucina- tur Annatus, dum Petrum Lombardum, Ar- chiepiscopum Armachanum, Censuram caput, Antonio Bovio, in eo singulari diplomatis speci- mine elaborando, socium adjunctum, quem alius perpetuo ventis evanuisse, nemo nescit. At sua ille pro more signata liberaliter vendit.

Ultimum fabulæ actum addit Quæstionum E- ventilator, qui leviculum illam Archiepiscopis Armachani, in delineando Diplomate Pontificio, a cæteris disensionem in invidiam trahit in Quæ- stionibus momentosis, (4) ut meditarum speci- men deprimat. Annon vero similes, in præscri- bendis Canonibus, contentiones, in ipsis etiam Conciliis œcumenicis fuboriri, perfectum est, postquam Summo Patrum omnium assensu sanc- tiendæ doctrinæ capita præfinita sunt? Legat Pal- lavicinum suum, lib. 7. Cap. 9. & Lib. 8. Cap. 13. & 14. enatas Tridenti rixas fuisse enarrantem, dum de Peccato Originali, & Justificatione Ca- nones ederentur: & tam futili, si superis placet, obtentu, latas illic Sanctiones vellicet, deprimat, cavilletur.

Rf 2 CA.

(1) Num. XV. (2) Vide §. 6. Prefationis. (3) Num. XI. (4) Quæst. 1. Cap. 2.

Illata ab Leodiensi Scriba Pontificii Diplomatis Editoribus injuria repellitur: propositiones erronee de liberi arbitrii viribus, ab iisdem notata, merito confixæ demonstrantur.

Tametsi futes Leodiensis Scribæ cavillationes (1) in hujuscæ Operis Præfatione cumulate retulerim, ut operam ludere videar, si nova in illum signa conferam; præterire tamen hoc loco nefas arbitror, quas hic congestit argutias, ut damnatas meditato illo Diplomate propositiones aliquas, ex D. Thomæ petitas, & a Pio V. in suo adversus Bajum Diplomate vindicatas ostendat. Has nec responsione dignas arbitraremur, quod ne novitium quidem Theologum morari possint; nisi supinam in ea implenda provincia ignorantiam suam, addita fraude, cumlaster. Saxeos nos esse oporteat, si filio forte parceremus, dum hæc apud illum verba legimus: (1) Diploma illud Pontificium a viris profecto, in illo controversiarum genere minus verfatiss, delineatum fuisse, necesse est; cum propositiones inibi damnentur, a D. Thomæ ipsis etiam terminis propugnatae, alique nonnullæ, Basi erroribus, ab Summis Pontificibus jam diu profcriptis, e diametro repugnantes. Quis id mortalium putet? Quis credat? nisi suam verbofo circulatori vendiderit fidem. Id ergo unde colligat vir egregius, & in isto controversiarum genere verfatissimus, expendamus.

Præmam illam, inter quinquaginta propositiones damnatam, exhibet: *Peccatum primi hominis solum in donis supernaturalibus nocuit*: cui ea Divi Thomæ verba, ex libro 2. Sententiarum, distinctione 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. petita, e regione ponit, eademque veluti statera appendit: *Nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est*. At quam mendaces Filii hominum in stateris! Fidem tuam, mi homo. Itane D. Thomæ verba castrare, ac decurrere licuit, ut is cum Molina damnatus ostenderetur; doctissimique Censores, uti minus in isto argumenti genere verfatiss, traducerentur? Redde Thomæ verba, & evanescet calumnia tua: nec modo alienum a Molina tuo probabis Doctorem Angelicum, sed & nullo luculentiori, explicatori que testimonio Molinianum errorem explodi posse, demonstrabis. Ita quippe Sanctissimus Doctor hoc ipso in loco, quem appendis, sed non satis expendis: „Ad tertium dicendum, quod bona naturalia dicuntur dupliciter. Vel prout sunt in se considerata, secundum quod nature debentur ex propriis principiis: & sic nec homo, nec Angelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo diminutus est: quia Dionysius, etiam integræ data naturalia in Angelis peccantibus permanere, dicit. Vel secundum quod ordinantur ad finem ultimum: & hoc modo in utroque bona naturalia quidem diminuta sunt, non penitus amissa, in quantum uterque factus est minus habilis, & magis distans a finis consecutione. Et propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, & in naturalibus vulneratus. *Luce 10. in Glossa.* Quæ ergo hoc loco bona vocat Doctor Angelicus, in nullo amissa, aut diminuta, non alia certe sunt, quam quæ nature ex propriis principiis debentur: facultates scilicet, secundum esse physicum, ut schola loquitur; in seipsis consideratæ. Verum

contra, eadem ipsa dona, ut ad moris ordinem transferuntur, ut ordinantur ad finem ultimum, si minus penitus amissa, certe & diminuta, & vulnerata profiteretur. Quæ parte profecto Molinam peccasse, notum est; dum usque adeo integras lapsi hominis vires effutiebatur, ut & vincere tentationes, & præcepta servare, & Deum diligere, sine gratiæ subsidio posse, contenderet.

In eundem sensum scribit Doctor Angelicus 1. parte, quæst. 85. art. 1. „Bonum natura potest tripliciter dici: primo ipsa principia nature, ex quibus ipsa natura constituitur, & proprietates, ex his causatæ, sicut potentia animæ, & alia hujusmodi: secundo ipsa inclinatio ad virtutem est quoddam bonum nature: tertio modo potest dici bonum nature donum Originalis Justitiæ, quod in primo homine fuit collatum toti humanæ nature. Primum igitur bonum nature, nempe principia naturalia, & potentia, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum: tertium vero bonum nature totaliter est ablatum per peccatum primi Parentis: sed medium bonum nature, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Quare cum inter oppositæ partis argumenta pervulgatum illud Dionysii dictum, quo velut Achille Molina nititur, obviam sibi fecisset, ordine primo: *In demonibus post peccatum naturalia manserunt integra*, objectam difficultatem ita eluit: *Ad primum dicendum, quod Dionysius loquitur de bono primo nature, quod est esse, vivere, & intelligere, ut patet intelligenti. Quam procul hæc a Molinæ commento!*

Neque vero dubium est, suam illam de nature latione, viriumque naturalium imminutione sententiam ex Augustino derivasse Doctorem Angelicum; ac velut Augustinianæ de Gratia Christiæ medicinali doctrinæ basim, ac fundamentum posuisse. Augustinum enim pene totum exscribat, necesse est, quisquis referre velit ex integro, quæ de secutis ex primi parentis peccato vulneribus, plagis, infirmitatibus, suis passim, contra Pelagianos editis, libris edisserit. Parabolam Samaritanæ, nedum a latronibus spoliati, verum etiam adjectis insuper plagis fauciat, ac semivivis relicti, primo Parenti, torique subinde humano generi sexcentis plus minus locis accommodat. Hincque apud ejus discipulos, Prosperum, Fulgentium, Episcopos in Sardinia exules, Anselmum, Bernardum, ea familiaris sententia fuit, a tanto Magistro derivata: *Ille primus homo, & in ipso humanum genus, spoliatus fuit vestimento caritatis, & fidei, carnaliumque concupiscentiarum vulneribus fauciat.* Apud Fulgentium lib. De Incarnatione, & gratia cap. 13.

Rursum illud Psalmistæ oraculum: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, exponens in Enarrationibus suis, ita in Pelagianos calumiam acuit: *Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil fauciatum, nihil debilitatum, atque visiatum?* Et lib. De natura, & gratia, capite 13. *Quid tantum de natura possibilitate præsumitur? Vulnerata, fauciatata, venata, perditata est.* Quibus oraculis, Molinæ paradoxum, uti Pelagianæ sententiæ fermentum, exagitat. Cum etenim Pelagiani eas humanæ nature vires, agendique possibilitatem, non quasi ex justitia originali progerminantes, obtulerent, sed ex ipsis puræ nature principiis derivarent; necesse profecto est, Augustinum vulneratam, fauciatamque naturam in iis ipsis naturalibus donis intellexisse, de quibus eum inter, & Pelagianos quæstio verbebatur.

Quo sensu Concilium Tridentinum initio Sef-

fionis sextæ, *Tametsi liberum arbitrium*, inquit, in *Adæ prævaricatione minime extinctum sit; viribus tamen attenuatum, & inclinatum est*. Secundum eas igitur nature vires attenuatum est liberum arbitrium, secundum quas extinctum non est: At secundum vires supernaturales, ex donis gratiæ sobolescentes, extinctum esse in Adamo liberum arbitrium, ne quidem Moliniani diffidentur. Secundum ergo nature vires attenuatum illud, inclinatumque fateri, necesse est, nisi plane velimus Concilii Tridentini definitioni repugnare.

Hæc si serio perpendisset Leodiensis Scriba, aut si ad ea intelligenda satis valuisset ingenio (quantum enim ex ejus objectionum levitate opinari licet, novitium illum Theologum arbitror, ac nuper centuriarum Molinianæ militiae velitem puto) nullam Molinæ suo ex lata Censura irrogatam injuriam excusitasset, nec doctores Angelici testimonium decurtasset; ut illum æquis cum Magistro suo ponderibus appenderet.

Sed neque minus dolosam stateram tenuit, dum alteram appendit Molinæ propositionem: *Vires naturales liberi arbitrii tales profus secundum se in nobis post peccatum manserunt, quales illas esse habuit, si homo fuisset conditus in statu mere naturali*: quam idcirco injuste petitam, ait, quod alteri Bajanae repugnet ex diametro: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*. Quasi vero non possint duo excessu contrario peccare, & ob pugnant, atque extremos errores æqua perinde censura peti? Pelagianos Manichæis repugnantes nemo nescit: abist tamen, ut illos idcirco absolutos velimus. Si diligendi sunt Pelagiani, quia oderunt Manichæos; profecto diligendi sunt Manichæi, quia oderunt Pelagianos, ajebat alias Augustinus. At nec se dialecticum satis prodit, nec Basi sensum satis capit, quisquis hoc in seipso nodum querit. Tantum enim abest, ut ex contradictionis lege pugnent propositiones illæ duæ (ut una damnata, absoluta altera censi possit) quin potius inter sese plane distatæ sunt, & in materia disparata, ut Dialectica loquitur, ambæ versantur. Bajus enim, non potuisse Deum, afferrebat, talem ab initio hominem condere, qualis nunc nascitur, hoc est, sine justitia originali, & gratia sanctificante, quam humanæ nature debitam affirmabat, juxta alteram istam assertionem, a Pio V. notatam: *Humane nature exaltatio in consortium Divinæ nature debita fuit integritati primæ conditionis; ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*. Molina vero, nedum sine justitia originali, & gratia sanctificante potuisse hominem condi, defendit (qua parte cum Bajo ex justa contradictione pugnavit, nec censuram propterea meruisset) sed ab eo instituto longe digressus, nasci nunc hominem, dicit, iisdem naturalibus viribus instructum, quales erat habiturus, si in pura natura conditus esset: quasi ex Originalis peccati labe nullum esset in humana natura vulnus consequutum. Quod quam falsum sit, quam absonum, quam censura dignum, satis me, arbitror, demonstrat.

Unum hic obiter monere juvat, diu me, multumque doluisse, quod cererem, Joannem Baptistam Gonetum, recentium Thomistarum facile Principem, his demum temporibus in eam Molinianæ scholæ laxitatem incaute, & incircumspecte declinasse, nec animadvertisse satis, quantum Angelica schola adversus illud doctrinæ monstrum in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus, tanquam pro aris, & focis, coram Apo-

lica Sede decertasset. At multis tandem laceratis incessi, dum mutatum ab illo sententiam vidi in quarta Manualis Thomistici Editione, quam mortui proximus recognovit, & Lugduni anno 1681. apud Anissonios edi, curavit: Ubi re, ut ait pagina 218. (1) *maturus discussa, & attentius ponderata, veram omnino sententiam agnovit, quæ hominem, nedum Originali peccato spoliatum gratuitis, decet, verum etiam in naturalibus vulneratum: atque idcirco longe minores esse vires in homine lapsio, quam fuissent in homine puro.*

Nihil felicius quartam Molinæ propositionem ad trutinam vocat: *In statu nature lapsæ potest homo, cum solo concupis generali Dei, efficere opus bonum morale, quod in ordine ad finem hominis naturalem sit vera virtutis opus, referenda illud in Deum, sicut referri posset, ac deberet in statu naturali: quam is a Pio V. absolutam existimat, eadem ipsa damnatione, qua septuagesimam sextam e Bajanis confixit: Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex nature solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Minus hic profecto æquabilem libram tenet Molinianus Actor. Quod rei summam conficit, & Molinæ propositionem exofam facit, in altera lancis parte desideratur, quod sit vera virtutis opus. Bajana ergo propositio idcirco ferulam meruit, quod in ea nihil boni naturalis ex solis nature viribus proficisci sic, diceretur, ut omne, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum esset; ut altera e notatis propositionibus ferebat. Id unum si Molina negasset, non virga, sed laude sua dignus esset. At, imis summa miscens, in extremum errorem abist, ac bonum etiam morale, quod vera virtutis opus esset, sine Dei gratia præstari posse, commentus est. Sua illum Theologia deluit, ut nihil inter hæc medium agnosceret; bonas dispositiones, & inclinationes, nec non etiam actus, ad vitæ civilis honestatem attinentes, medio stare loco, non satis novit: idque omne vera virtutis opus, putavit esse, quod peccato vacaret. Errorem D. Thomæ lectione deposuisset, 1. 2. quæst. 65. art. 1. in corp. & ad 1. si legere libuisset.

Verum, cum hæc, aliaque, ad priores duas alteras propositiones attententia, Dominicanus interlocutor cumulate in publicis Congressibus occupavit; nebulas, quas ex coram undecunque D. Thomæ testimonio veritati offundere, Moliniani nitentur, opportune depulerit; tritaque illas, ex Pio V. Diplomate petitas, criminationes diluerit sæpenumero: ad superioris Libri lectionem Scribam Leodiensem mittere, satis est, ut sua, jam pridem obtusa, tela recognoscat.

Quidni quoque reponamus ad juris cumulum, tametsi suffragia querere non est opus, nonnullas Basi propositiones aliquo pacto sustineri posse in rigore, & proprio sensu verborum, ab Auctore intento; nec nisi propter acerbitatem censuræ, qua partis adversæ doctrinam fugillant, & scandalum, quod ingenere aliis possent, Pontificiam damnationem meruisse?

Sic fane Theologi e Societate primi subleli pronunciantur: Suares tom. 1. de gratia, prolegomeno 6. cap. 2. Vasques in 1. 2. dist. 100. cap. 18. quorum ultimum suum illud interpretamentum ab ipso Francisco Toletio, Pontificii Diplomatis denuntiatore, scripto probatum, profiteretur: *Sensum hujus damnationis, prout a me explicatus est, contuli cum Illustrissimo D. Card. Francisco Toletio, cum adhuc sacri Palatii Concionator, & Theologus esset anno Domini 1586. qui, ut dixi, pro hac Bulla, & damnatione recipienda, Le-*

(1) Lettre a M. l'Abbé *** sur la nouvelle Histoire des disputes De Auxiliis. (2) Pag. 20. 21.

(8) Traçt. 8. De homine, cap. ult.